Prologus in epistolas canonicas. 137

Non ita ordo

est apud grecos qui integre sapiunt et fidem rectam
sectantur epistularum septem que canonice nuncu-
pantur sicut in latinis codicibus invenitur. Quod quia
petrus primus est in numero apostolorum prime sunt
etiam eius epistole in ordine ceterarum. Sed sicut evange-
listas dudum ad veritatis lineam correximus.
ita has proprio ordine deo iuvante reddidimus.
Est enim prima earum una iacobi. petri due. iohannis
tres. et iude una. Que si ut ab eis digeste sunt.
ita quoque ab interpretibus fideliter in latinum
eloquium verterentur. nec ambiguitatem legenti-
bus facerent. nec sermonum sese varietas in-
pugnaret. Illo precipue loco ubi de unitate
trinitatis in prima iohannis epistola positum legimus. in
qua et ab infidelibus translatoribus multum
erratum esse fidei veritate comperimus trium
vocabula tantummodo hoc est aque. san-
guinis. et spiritus. in ipsa sua editione ponentes.
et patris verbique ac spiritus testimonium omittentes.

Semen conceptum .vi. diebus ex conceptione tenet lactis similitudinem. post .viiii. dies vertitur in sanguinem. .xii. in carnea redigitur soliditate. .xviii. ad omnia membrorum perducitur liniamenta. et abhinc usque ad diem editionis augetur magnitudine.

arctos A. id est septentrio. dimis D. id est occidens. athole A. id est oriens. mesimbria M. id est meridies.

auentum .i. desidium. inde ubi aueo. V[ide] Ysidorum.

Dum quisque aliquod donum accipit non appetat amplius quam quod meruit. ne dum alterius membri officium arripere temptat. id quod meruit perdat. Item. De desperatione. Perpetrare flagitium aliquod mors anime est. Contemnere penitentiam et permanere in culpa. descendere in infernum post mortem est. Ergo peccare ad mortem pertinet. desperare vero in infernum descendere. Item. Ego dominus formans lucem et creans tenebras. Deus vero bonos angelos non tantum creavit sed formavit. malos vero creavit tantum non formavit. hoc et de hominibus bonis et malis est accipiendum. Item. Ideo superferri aquis dicitur spiritus sanctus quia donum dei est in quo subsistentes requiescimus atque protegendo nos superfert bonis.

Epiaphonus. Strophicus. Punctum. Porrectus. Oriscus.
Virgula. Cephalicus. Clivis. Quilisma. Podatus.
Scandicus et Salicus. Climacus. Torculus. Ancus.
Et pressus minor et maior. non pluribus utor.
Neumarum signis erras qui plurima fingis.

Sic perficit deus hominem peccatorem. ita et perficit quatenus illum per sua gratia
repararet. qui suo arbitrio deperire potuisset.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_78/0277

MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG